

runt, ut avertere occasione peccandi, et offerre bene agendi, compescere dæmones, et similia. Aliis vero liberalius hæc auxilia totumque hoc providentiæ genus tribuit Deus, vel tribuendo specialiora auxilia, nulla spectata eorum præparatione etiam ex gratia, præter ipsammet gratiam justificantem, vel sæpissime etiam replicando auxilia, etiamsi homines in bono usu priorum negligentibus fuerint. Significat ergo Augustinus inter Angelos non fuisse hanc varietatem, quia nullum auxilium eis datum vel oblatum est ad perseverandum, nisi quod ipsamet gratia in unoquoque postulabat ad unum conversionis actum plene deliberatum, nam in illo solo actu constitit Sanctorum Angelorum perseverantia, et ita in executione, ut sic dicam, uniformis providentia cum eis servata est, quamvis in occulta intentione, præparatione ac præscientia Dei, beneficii diversitas negari non possit. Idem credit Augustinus de hominibus in statu naturæ integræ, quia, licet pluribus actibus et diuturno tempore perficienda esset, tamen propter facilitatem illius status non oportebat in modo providendi et dandi auxilia esse varietatem, sed unicuique conferrentur necessaria et debita suæ gratiæ et dispositioni, quamvis in prima vocatione et dispositione ad justitiam et primam gratiam sanctificantem, esset fortasse varietas ex solo beneplacito Dei. At vero in statu naturæ lapsæ, quia propter difficultates et impedimenta ejus vix salvarentur aliqui, si potestas ad perseverandum præcise conferretur cum solis auxiliis necessariis, et interveniente semper et in omnibus legitimo usu illorum, ideo oportuit in hoc statu, præter illum modum communem dandi potestatem perseverandi, ut perseverantia ipsa daretur. Hunc ergo modum vult Augustinus esse proprium electorum, et ratione illius ac præparationis ejus, dicit voluisse Deum ut salus justorum non nisi ad gratiam suam pertineret. Alium vero relinquit ut communem reproborum. Et quamvis potuerit Deus sola sua voluntate non dare reprobis majus subsidium ad perseverandum, quia in rigore non erat necessarium, neque eis debitum, tamen quia illo modo committuntur illi homines magno vel potius certo discrimini damnationis, ideo conatus est Augustinus justam aliquam causam hujus permissionis ex parte hominum invenire, scilicet peccatum originale; quæ causa in malis Angelis necessaria non fuit, ut ex dictis satis constat.

Atque ex hac doctrina videntur profecto et mens Augustini optime intelligi, et omnes difficultates tactæ sufficienter expediri, ita ut non oporteat circa singulas immorari. Una tantum insurgit difficultas, quia Augustinus vult in hoc statu naturæ lapsæ nullum omnino hominem de facto salvari cum sola potestate perseverandi, data illo restricto modo a nobis explicato; quod videtur incredibile, si est vera potestas. Merito enim dicitur necessarium ad perseverandum in hoc statu illud donum, sine quo in tanta multitudine hominum nullus perseverat; si autem necessarium est, profecto illi, quibus non datur neque offertur, dici non possunt habere sufficiens auxilium, nec veram potestatem perseverandi; præsertim quia multi perseverant vivendo in gratia brevissimo tempore; per breve autem tempus perseverari potest in gratia cum solis auxiliis communibus eidem gratiæ debitibus.

Respondeo imprimis hic non agere an omnia quæ dicit ibi Augustinus vera aut certa sint, sed solum explicare quomodo id quod dixit, sine physica prædeterminatione optime intelligatur. Unde non desunt homines docti quibus in ea universalitate Augustini sententia non placeat. Propter quod Catherinus suam introduxit sententiam, dicens præelectis dari perseverantiam illo singulari modo, reliquum vero vulgus salvandorum cum illo communi beneficio salvari. Et fortasse aliquid simile intendit Toletus in epistolam ad Roman., cap. 11, annotatione 4, cum ita inquit: *Augustinus existimat totum esse gratiæ, quia Deus facit hominem cooperari, et determinat arbitrium hominis, quia dat ut velle possit, et facit velle. Existimo tamen non semper id esse, sed sæpe juvat hominem ut velle et operari possit; quod autem velit et operetur, hominis est facientis quod est in se, quamvis non sine adjuvante gratia.* Cum enim hic auctor tribuit Augustino quod asserat Deum determinare hominis arbitrium per gratiam, non credo intelligi de determinatione illa physica, quæ usum liberum plane tollit, alioqui non fuisset dicturus: *Existimo non semper id esse, sed: Existimo nunquam esse;* quia in illa determinatione non datur medium (ut sic dicam), nam vel semper datur tanquam essentialis actioni creatæ, vel, si essentialis non est, nunquam datur ad actionem liberam. Determinationem ergo vocat specialem illam inductionem moralem ac singularem protectionem, quam in omnibus qui salvantur Augustinus

posuit. Toletus autem significat non in omnibus esse necessariam.

Ego vero opinor Augustini sententiam veram esse, quia nulli homines salvantur nisi præelecti a Deo, gratuito et efficaci decreto dandi illis gloriam, ex quo decreto nascitur ut omnibus illis peculiari cura Deus provideat modum quo infallibiliter gratiam et justitiam consequantur, quod est præcipuum Augustini intentum. In executione autem non omnibus confert eadem dona, nec cum omnibus servat eundem modum. Possumus tamen duo generaliter dicere. Unum est, multos salvari perseverando ante mortem longo et continuo tempore in gratia, et de his omnibus credibilius est non recipere perseverantiam sine majori protectione Dei, et pluribus prævenientibus auxiliis quam debeantur priori gratiæ, vel dispositioni hominis facientis quod in se est, etiam cum adjutorio gratiæ, quia hoc ipsum facere semper quod in se est, cooperando gratiæ per longum tempus, superat infirmitatem hominis lapsi, inter tot difficultates et angustias constituti, nisi frequentius præveniatur et sublevetur. Fateorque tale auxilium posse dici necessarium ad perseverandum longo tempore; eos vero qui illud non habent, habere nihilominus auxilium necessarium et moraliter sufficiens ad vitandum in particulari seu divisive quodcumque peccatum, et ad impetrandum a Deo majus auxilium quoties necessarium fuerit, et nihilominus, si sæpius non gratis et ultra communem providentiam præveniantur et custodiantur a Deo, non ita perseverare diu, quin interdum graviter labantur, moraliter loquendo. Atque hac ratione, quando perseverantia durat per longum tempus et sine gravi lapsu usque ad mortem, profecto non contingit sine extraordinaria protectione Dei gratis ex vi electionis collata, quæ neque in Angelis sanctis fuit, neque in statu innocentiae fuisset ita necessaria, et in hoc credo maxime versari differentiam ab Augustino positam.

De his vero qui parvo tempore perseverant in gratia ante mortem, verum quidem est non indigere specialibus donis internis ad perseverandum illo parvo tempore, præsertim quando repente accidit, vel in ea graves tentationes non occurrunt; semper tamen intervenit specialis Dei providentia, vel præordinando mortem tempore illo opportuno, vel compescendo dæmones ne gravius tentent, vel fortasse plus etiam juvando quam simpliciter necessarium sit. Qui etiam providentiæ

modus in Angelis locum non habet, nec fortasse haberet in statu innocentiae. Atque ita etiam in his constat differentia ab Augustino data, ex qua reliqua omnia, quæ ad difficultatem ostendendam proposita sunt, facile intelligentur.

CAPUT XXXVI.

EXPENDITUR SENTENTIA AUGUSTINI IN QUÆSTIONE SECUNDA LIBRI PRIMI AD SIMPLICIANUM, GUINAM DICTARUM OPINIONUM FAVEAT.

Inter tractatus quos Augustinus de divina gratia edidit, quem Episcopus scripsit, fuit hæc quæstio quam ad Simplicianum misit, ut ipsemet Augustinus, libro secundo *Retract.*, capite primo, scriptum reliquit, quo in loco totam illius quæstionis doctrinam tacite confirmat, dum ait, in ea laboratum esse pro libero arbitrio: *Sed vicit gratia Dei;* ex hac ergo quæstione etiam defensores physicæ prædeterminationis suam conantur confirmare sententiam; ego vero existimo esse hoc gravissimum testimonium Augustini pro nostra sententia, nullumque prædeterminationis vestigium in ea inveniri; et ideo licet in aliis libris hunc Augustini locum tractaverim, hic ex professo decrevi totam quæstionem per partes explicare.

Ad hoc autem præstandum me compulit Franciscus Davila, qui, tractans hunc locum, referensque ex illo a nobis colligi duplicem vocationem, congruam scilicet et non congruam, inter alia sic inquit: *Non possum autem graves alias viros non admirari, qui ut ista prælo mandarent, non advertunt dicum Augustinum in hoc loco, ubi de congrua et incongrua vocatione disputat, quæstionem ventilare, non definire. Cum enim ad explicationem propriæ sententiæ procedit, inquit: Et tamen intueamur superiora, et inde nostram, quantum ipse Dominus adjuvat, sententiam dirigamus. Quo patet ante ista verba propriam non protulisse sententiam. Unde et his verbis in margine additur: Conclusio quæstionis. Quia ab his verbis quæstionis decisionem et conclusionem exorditur.* Mox ejusdem Augustini tam antecedentia quam sequentia verba circa locum illum, qui in margine notatur conclusionis nomine, in suam sententiam inducit. Ex cujus doctoris verbis, nos imprimis libenter sumimus quod fatetur, distinctionem vocationis in congruam et non congruam tractari, et proponi ab Augustino in illa quæstio-

ne. Jam ergo videamus an ex propria sententia tractetur et afferatur. Quod optime fiet intentionem et discursum totius quæstionis proponendo, et singula verba quæ ad rem facere possunt expendendo; unde etiam constabit an verbum aliquod habeat quod physicæ prædeterminationi favere videatur.

Scopus Augustini. — Intentio igitur Augustini in illa quæstione, est explicare locum Pauli ad Roman. nono: *Cum nondum nati essent, etc.*, de quo interrogatus fuerat. Ad illum autem exponendum, supponit intentionem Pauli in illa epistola esse non posse hominis gloriari ex operibus, ac si gratia sibi propter opera detur, quia non ita est, sed gratia præcedit ut bona opera fiant: *Quia nullus (ait) bene operaretur nisi antea credidisset; nullo autem modo credidisset, nisi vel secretis per visa mentis aut spiritus, vel manifestioribus per sensus corporis admonitionibus vocaretur.* Deinde § *Quam rem*, subjungit Apostolum, ad probandam hanc veritatem, afferre exemplum duorum fratrum, quorum discretio in dilectione vel odio facta est antequam nati essent, aut quippiam boni vel mali essent operati: *Ut tam Jacob (ait) quam filii ejus, qui futuri sunt pertinentes ad sortem sanctorum, intelligant esse se filios promissionis, non superbientes de meritis suis, sed gratiæ vocationis deputantes, quod hæredes essent Christi.* Et infra: *Vocantis est ergo gratia, percipientis vero gratiam consequenter sunt opera bona, non quæ gratiam pariant, sed quæ gratia pariantur.* Paulo vero inferius, § *Unde occurrit*, tractat quæstionem de electione divina, an supponat inæqualitatem inter electos, vel faciat, propter illa verba: *Ut secundum electionem propositum Dei maneret.* Cui summam respondet illa verba negative esse intelligenda, nimirum, propositum illud, quo Deus dilexit Jacob et non Esau, non fuisse secundum electionem inter bonum et malum, quia nondum aliquid boni aut mali egerant, ut secundum electionem inter illa haberetur propositum, sed secundum solum beneplacitum Dei; atque ita propositum quo statuit Deus ut major serviret minori, non ex operibus, sed ex vocante fuisse. Unde concludit Augustinus: *Non ergo secundum electionem propositum manet, sed ex proposito electio.*

Difficultas. — Ubi oritur illa gravis quæstio, an ex mente Augustini electio prædestinatorum ad gloriam fuerit ex præscientia meritorum, vel ante illam, quæ ad punctum, de quo in præsentem agimus, non refert, et in

libro tertio de Auxiliis tractata est, et rursus in alio opere de prædestinatione eam disputamus, et ideo illam prætermittimus, solumque adverto duo ibi ponere Augustinum tanquam distincta, quæ ambo ad voluntatem pertinent, scilicet, propositum et electionem; quæ adeo distinguit, ut propositum velit esse rationem electionis, non e contrario, et electionem diserte dicat esse ex præscientia operum, adeo ut affirmet se non videre quomodo possit illud Apostoli intelligi: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, nisi præscientia. Propositum vero negat apertissime esse ex prævisis operibus, ita intelligendo verba Pauli: *Antequam quidquam boni aut mali egissent*, etc. Electio autem seu dilectio prædestinatorum, de qua disputant scholastici an sit ex meritis prævisis, nihil aliud est quam quoddam propositum Dei. Et ideo quoad mentem Augustini solum potest superesse quæstio utrum quam nos vocamus dilectionem seu electionem ad gloriam, vocaverit ipse propositum, vel an ipse sub nomine electionis intellexerit hoc loco eandem electionem ad gloriam, de qua nos disputamus. Et auget difficultatem, quia Augustinus neutrum ex illis actibus explicuit hoc loco per immediatam habitudinem ad gloriam vel electionem ad gloriam, ita ut intelligamus proximum objectum, seu materiam circa quam versantur illi actus, vel aliquis eorum, esse gloriam, sed *propositum* dixit esse *justificationis ipsius*. Quod manet (inquit), *ut justificet credentes*. De electione vero ait, supposito illo proposito, *invenire Deum opera quæ jam eligat ad regnum celorum*. Et postea vocat *electionem meritorum, quæ post justificationem gratiæ provenit*.

Si quis tamen attente consideret, intelliget propositum justificationis idem esse quod propositum gloriæ, quia non est sermo de justificatione temporali, sed perpetua, ut aliis locis infra tractandis explicavit Augustinus, ex illo Pauli Roman. octavo: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt Sancti*. Justificatio autem per gratiam fit, et ideo justificatio gratiæ ab eodem Augustino hic appellatur; et gloria nihil aliud est quam gratia consummata. Igitur propositum justificationis stabilis ac perpetua, idem est quod propositum gloriæ seu dandi gloriam. Item propositum adoptandi in filium, non tantum secundum temporalem justitiam, sed perpetuo, et propositum dandi hæreditatem, idem est;

nam *si filii et hæredes*; ergo propositum justificationis, propositum gloriæ est. Item, sicut gloria comparanda est per merita libere facta, ita justificatio per dispositionem liberam; ergo si hoc non obstat quominus propositum justificationis antecedit scientiam talis dispositionis, non obstat quominus propositum gloriæ antecedit præscientiam meritorum; ergo utrumque pro eodem Augustinus reputavit. At vero electio, ut idem Augustinus exposuit, est operum seu meritorum; itaque non respicit immediate personas, sed mediis operibus et meritis. Unde videtur mihi Augustinus solam electionem justitiæ, quæ fundatur in aliqua ratione faciente diversitatem et inæqualitatem inter personas, et consideranda ad justam electionem, significasse hoc loco absoluto nomine electionis. Sicut in communi sermone loqui solemus, cum dicimus electionem ad officia vel beneficia publica esse actum justitiæ distributiæ, et debere respicere causas vel merita personarum. Atque in hoc sensu locum habet illa propositio Augustini in hac ipsa quæstione: *Nemo eligitur, nisi jam distans ab illo qui rejicitur*. Ex qua probat quod justificatio præcedit electionem, et non e contra. Nam loquendo generaliter de electione, prout solum dicit dilectionem unius præ alio, non est in universum vera illa propositio, etiam in sententia eorum qui volunt electionem ad gloriam esse post prævisa merita, quia saltem de electione ad gratiam seu ad vocationem congruam ipsi fatentur fieri sine prævisis meritis, nec supponere distantiam aliquam inter eos inter quos fit electio; jam ergo non erit in universum vera illa propositio; ergo intelligenda est tantum de electione quæ est actus justitiæ, quam nos alibi executivam vocavimus, et quæ in tempore est quasi proxima causa separationis et electionis, quæ ad extra fit. Et ita est plana hujus loci intelligentia.

Unum vero est in hoc discursu Augustini mihi difficile, juxta doctrinam ejus in aliis locis, cur scilicet intelligere voluerit verba Pauli ad Ephes. secundo: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, de hac electione justitiæ, et ideo dixerit, *esse dictum secundum præscientiam*, utique meritorum, nec se videre quomodo aliter possit intelligi. Huic enim expositioni (ut aliis locis idem Augustinus adnotavit) repugnant verba sequentia, *ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus*, etc. Si enim electio facta est secundum præscientiam, potius dicere debuisset Paulus:

Elegit nos in ipso, quia futuri sumus sancti et immaculati; nam illam electionem præcedit justificatio, ut hic Augustinus ait; ergo quatenus illa electio fit ante mundi constitutionem, supponit quod eligendi prævideantur justus et sancti; ergo non eliguntur, ut fiant sancti, sed quia sunt sancti in præscientia æternitatis. At Paulus dicit eligi ut fiant sancti; non ergo loquitur de electione justitiæ, sed gratiæ, benevolentiae gratuita, et ita non oportet electionem illam esse in præscientia, nisi forte conditionalium operum quæ non conferunt ad electionem ex justitia, nec possunt esse ratio electionis. Unde expositionem illam de electione in præscientia, quoad verba illa ad Ephes. primo, reprobatur idem Augustinus libro de Prædestin. Sanct., capite decimo septimo, dicens repugnare verbis Christi: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, Joan. decimo quinto, et cap. decimo octavo ex verbis ejusdem Apostoli idem late ostendit. Quocumque vero modo intelligatur Augustinus, in toto hoc discursu nihil favet physicæ prædeterminationi, ut per se notum est; neque hactenus etiam aliquid de vocatione congrua explicavit.

Alia quæstio. — Igitur in sequenti § *Quæritur autem*, aliam proponit quæstionem, videlicet, an saltem meritum fidei sit ratio justificationis. Et breviter respondet non esse, quia ipsamet fides supponit vocationem. Intelligit autem per justificationem totum negotium totamque mutationem quæ in homine fit, ut ex peccatore justus fiat, et ita dicit non habere initium ex homine, sed ex vocante ad fidem. Ubi jam incipit favere nostræ sententiæ, quia, ut damnet Pelagium et reliquias ejus, non curat de prædeterminatione, sed in hoc solo facit vim, quod totum negotium justitiæ sit ex vocante, id est, quod a vocatione Dei gratiæ initium sumatur. Unde tandem concludit, etiam illud, *Jacob dilexi, esse ex Deo vocante, non ex Jacob operante*, id est, ex Deo qui, sicut gratis dilexit, ita gratis vocat. Nam illa dilectio Dei est prima radix dandi vocationem, et vocatio est proximum principium fidei, et fides est primum pietatis opus et fundamentum reliquorum.

Rursus alia. — Postmodum vero, in § *Quid deinde Esau*, transit Augustinus ad membrum aliud Paulinæ sententiæ: *Esau autem odio habui*, et quærit an, sicut dilectio Jacob non fuit ex bonis meritis, ita nec odium Esau fuerit ex malis ejus meritis prævisis; quam quæstionem prosequitur usque ad illa

verba: *Et tamen intueamur superiora*, ubi alii putant incipere Augustinum suam sententiam definire, et antea solum disputando processisse. Sed interrogo unde probent Augustinum, non docendo, sed disputando, totam illam doctrinam proponere; numquid quia interrogationibus et responsionibus ac replicis propositis magis ac magis difficultatem urget? At hoc nullius momenti est, quia a principio usque ad finem suarum questionum ita procedit, et hic est frequens et subtilis stylus Augustini. Unde, si attente legatur dum interrogat et respondet, priusquam replicet, aliquid adjungit quo responsionem vel rejiciat vel approbet, et tunc ad ulteriora progreditur, iterum interrogando seu replicando; ut cum interrogat, an verba illa: *Miserebor, cui miserebor*, dicta sint quia Deus ex sola misericordia dat vocationem, ac proinde non posse homines de aliquo gloriari, quasi illud non acceperint, statim quidem subjungit: *Recte quidem hoc*, approbando expositionem et doctrinam.

Addit vero replicando: *Sed cur hæc misericordia subtracta est ab Esau?* et hoc nonnullis interrogationibus urget. Postmodum vero respondendo concludit: *Nemo itaque credit non vocatus, sed non omnis credit vocatus; multi enim sunt vocati, pauci vero electi; utique ii qui vocantem non contempserunt, sed credendo secuti sunt, volentes autem sine dubio crediderunt.* Sed quia hæc resolutio quoad hanc partem videri poterat esse contra illud: *Non est volentis*, etc., iterum interrogat: *Quid est ergo quod sequitur: Non est volentis*, etc. Iterumque interrogando respondet: *An quia nec velle possumus nisi vocati, et nihil valet velle nostrum, nisi ut perficiamus adjuvet Deus?* Et cætera quæ sequuntur usque ad conclusionem illam valde notandam, qua principali interrogationi de Esau respondere incipit (ex propria profecto sententia), dicens: *Noluit ergo Esau, et non cucurrit, sed etsi voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle et currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.* Quibus verbis in summa respondet ipsi Esau non defuisse vocationem (quod de omni reprobo vult dictum intelligi), nec adjutorium ut perveniret, si vellet; quia Deus, quantum est ex se, etiam ipsum velle præstaret, nisi ipse contempneret vocationem. Itaque non ex Dei voluntate denegatum est illi auxilium efficax, sed ipse Esau sua prava voluntate impedit ne sua vocatio esset effi-

cax. Et ita respondet quæstioni cur misericordia subtracta fuerit Esau. Quæ responsio quam sit aliena a necessitate physicæ prædeterminationis ad efficaciam vocationis, perspicuum est. Nam juxta illam sententiam nullo modo potest voluntati hominis attribui quod efficax auxilium non habeat, sed in divinam tantum est refundendum, ut supra probatum est.

Duo sunt obscura in verbis Augustini. — Prima obscuritas. — Ad hanc vero rationem seu responsionem magis explicandam, addit ille difficultia et obscura verba: *Aliter enim Deus præstat ut velimus, aliter præstat quod voluerimus. Ut velimus enim, et suum esse voluit, et nostrum; suum vocando, nostrum sequendo. Quod autem voluerimus, solus præstat, id est, posse bene agere et semper beate vivere.* In quibus verbis duo sunt obscura in ejusdem Augustini doctrina. Primum est, quia inquit Deum præstare ut velimus, non tamen solum Deum, sed nos vocando, et nobiscum cooperando, cujus oppositum dicit lib. de Gratia et libero arbitrio, capite decimo sexto et decimo septimo: *Ut velimus (ait) sine nobis operatur; cum autem volumus, nobiscum cooperatur.* Sed obscuritas nascitur ex ambiguitate illius particulæ operari ut velimus, nam potest significare vel præparare voluntatem ad volendum, seu ut velit; vel significare potest efficere ipsummet velle nostrum. In libro ergo de Gratia et libero arbitrio, loquitur Augustinus priori modo, et ideo ait solum Deum sine nobis operari ut velimus, quatenus præparatur voluntas a Domino. Quod fit evidens ex eo quod distinguit operari ut velimus, ab ipso velle, quod dicit postea subsequi, et non fieri sine nobis. In præsentem autem idem est operari ut velimus quod efficere ipsummet velle; et hoc ait Augustinus ita esse Dei ut sit etiam nostrum, et ita esse nostrum ut sit etiam Dei.

Altera obscuritas. — Altera vero obscuritas hinc nascitur. Nam cum eadem ratio sit præteriti actus et præsentis, quomodo Deus solus fecit quod voluerimus, si non facit solus cum volumus? Sed dicendum illam particulam, quod, dupliciter accipi posse; primo in vi adverbii, secundo in vi relativi. Si priori modo sumatur, verbum voluerimus non potest esse præteriti temporis, ut ratio facta probat; erit ergo futuri perfecti subjunctivi modi, voluero; et sensus erit: Quod volituri sumus, ipse solus præstat, quia nimis solus præparat voluntatem ad volen-

dum. Et ita coincidunt hæc verba cum illis ex libro de Gratia et libero arbitrio: *Ut velimus, sine nobis operatur.* Fateor tamen hunc sensum difficile adaptari explicationi quam statim ipse Augustinus addit, dicens, *id est, posse bene agere, et semper beate vivere.* Nam hoc non pertinet ad gratiam præparantem voluntatem ad volendum, et sed potius ad subsequentem ipsummet velle, juxta illud: *Qui dedit velle, dedit et perficere.* Et ideo magis placeat quod in tertio libro de Auxiliis dixi, illud quod non esse adverbium, sed relativum, ut sensus sit: Velle beate vivere, nostrum est, cum Dei adjutorio; quod autem per hunc actum volumus, id est, ipsum beate vivere, solus Deus præstat. Item propositum bene operandi nostrum est, et Dei; ipsum autem bene agere, quod est objectum volitum per illud propositum, solus Deus præstat. Quia vero hoc posterius exemplum indigebat explicatione, addidit illam, dicens in tantum hoc esse solius Dei, in quantum ipse solus præstat potestatem bene agendi, quia ipsummet bene agere etiam est nostrum cum Dei adjutorio, quia in ipso bene agere jam includitur nostrum velle, vel novum, vel perseverantia in primo.

In nostro velle nihil est quod a solo Deo fiat, sed a Deo et nobis. — Ex his ergo verbis, ad rem de qua agimus non parvum potest sumi argumentum; quia in nostro velle nihil est in sententia Augustini quod a solo Deo fiat, sed a Deo et nobis; unde cum determinatio ad volendum pertineat ad ipsummet velle, vel potius nihil aliud sit quam effectio ipsius velle, constat ex mente Augustini non fieri in nobis sine nobis. Aliunde vero ex ejusdem Augustini explicatione constat, quidquid soli Deo agenti tribuitur, pertinere ad potestatem bene agendi, non ad ipsamet actionem.

Quomodo possit reprobatio Esau tribui voluntati Esau contempnentis vocationem. — Ulterius vero, ab illa particula: *Verumtamen Esau nondum natus*, iterum replicat Augustinus, quomodo possit reprobatio Esau tribui voluntati ejusdem Esau contempnentis vocationem, cum contempnere vocationem pertineat ad malam actionem, et ipse sit odio habitus antequam quidquam boni aut mali egisset. Nam si dicatur, licet ipse nondum egisset, jam Deum præscivisse fuisse acturum, eadem ratione dicitur Jacob fuisse dilectum ex bonis operibus prævisis, quod repugnat intentioni Pauli, et aliis verbis: *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* Quæ (inquit) non

possunt ita exponi, id est, non est solius hominis, sed etiam Dei, alias enim potuisset dicere Paulus, non Dei miserentis, sed hominis volentis. Vult ergo Paulus quod ipsum bene velle sit aliquo modo solius Dei miserentis, atque adeo quod illa misericordia, ex qua nascitur ut bene vivamus, non sit ex bonis operibus etiam prævisis. Ad explicandum autem quæ sit hæc gratia, per quam Deus solus operatur in nobis bonam voluntatem, distinguit expresse divinam vocationem et divinum adjutorium, ita notabiliter concludens: *Non igitur ita dictum esse putandum est: Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia nisi ejus adjutorio non possumus adipisci quod volumus, sed ideo potius quia nisi ejus vocatione non volumus;* de qua vocatione paulo antea dixerat: *Nobis non potest tribui quod vocamur.* Unde etiam constat Augustinum ad hæc duo reducere auxilia gratiæ, vocationem et adjutorium, et ratione vocationis tribuere soli Deo nostram bonam voluntatem, et non ratione determinationis, quæ ad gratiam adjuvantem et cooperantem potius pertinet. Ac denique constat nullum auxilium gratiæ medium inter vocationem et adjutorium ab Augustino tradi vel insinuari, sed potius ex vocatione immediate sequi ipsummet velle bonum a libero arbitrio cum adjutorio Dei.

Quia vero vocationem habet etiam qui illam contempnit, ut Esau, ideo in versicul. *Sed si vocatio ista*, etc., iterum objicit, quomodo verum sit illud: *Multi vocati, pauci vero electi*, si vocatio ista ita est effectrix voluntatis, ut omnis vocatus eam sequatur; vel si non omnis vocatus obtemperat, quia obtemperare positum est in ejus voluntate, quomodo non etiam dici potest vere: *Non miserentis est Dei, sed obtemperantis est hominis.* Quia misericordia Dei non sufficit, nisi vocati obedientia consequatur. Ad quam objectionem iterum interrogando respondet: *An forte illi qui hoc modo vocati non consentiunt, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem?* In quibus verbis insinuat Augustinus distinctionem duplicis vocationis, quam fuse statim declarat, ut per eam totum hoc negotium componat, et efficacis gratiæ infallibilitatem, sine detrimento sufficientis vocationis, licet inefficacis, exponat. Sed priusquam ad alia verba transitum faciamus, in his proximè relatis notandus est loquendi usus et stylus Augustini; nam cum dicit eos, qui sic vocati non consentiunt, potuisse alio modo vocatos consentire, intelligit eos ita potuisse ut, si ita essent vo-